



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

V. Albim fluuium magno animo trajicit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

rigentes, & eodem Imperatorem & Catholicam Ecclesiam sepulcro propediem contumelatum iri sperantes. Quum vero præter omnem spem conualuisset, Cæsar Norlinga profectus, Norimbergam, inde Egram petit, proxime ad Bohemorum fines Ferdinandicæ ditionis, in montuosis & asperis locis situm oppidum, quo etiam Ferdinandus & Mauritius iam ante venerant. Deinde cum omni exercitu eodem die Egra decedit, & magna celeritate in Saxoniam ducit, ut Electoris, qui nuper Fribergam quoque & Misenum illustre ad Albim oppidum, Mauritio ademerat, progressum cohiberet. Sic decimo tandem die, quum continenter iuisset, ad Misenum ubi Saxo tum erat, peruenit: qui subito Cæsaris aduentu oppressus, relicto oppido, quum sublicium pontem incendisset, ad alteram Albis ripam castra posuit, loco admodum munito, quum & fluvius magna sui parte ad CCC. passus latus interfueret, & ripa ubi castra habebat, in crepidines passim assurgens, vada redderet difficiliora. Cæsariani transportandum quidem exercitum censebant, quomodo vero id fieri posset non expediebant, loci situ plerisque metum incuriente, & dispositis ad alteram ripam à Saxone militum stationibus, cum tormentis & nauigijs aliquot, ut Cæsarianos quoquo modo impedirent.

V. Reperto tandem vado, licet profundo, Cæsarea die exercitum omnino transmittere, & cum hoste, si posset, configere statuit, antequam nouas ille vires colligeret, aut locis omnibus præsidio & comæatu diligenter munitis, Cæsaris vires diurna obsidione distineret, & sic bello in longum ducto, & Cæsare Saxonico bello occupato, locijs & reliquis Proestantibus res alibi turbandi occasione daret. Nam & Landgravius tum exercitum colligere, & propediem in campum producturus dicebatur. Præmissis ergo leuis armaturæ equitibus qui singulos sclopetarios à tergo vehabant, Cæsar asturconi badio insidens, sella holerica punicea auro fimbriata instrato, ipse auro radiante lorica rectus, sine paludamento & galeam Germanorum more capite, manuque frameam lato ferro gestans, speciem magni illius Cæsaris referere, qui transitu olim Rubicone, omni pacis conditione abiecta, in solo victoria spem ponebat. Sic ergo quamuis difficili transitu, alijs vi fluminis abreptis, alijs gladios transuersos ore deferentibus, & natando se saluantibus, Cæsar vteriori ripa sine damno potitus est, hostibus, qui ad prohi-

bendam descensionem relicti fuerant, metu dilapsis. Sleidanus insignis huius victoriæ historiam vno & altero verbo absolvens, ait, Saxonem tum quum ab ijs quos Mulbergæ reliquerat nunciaretur, Cæsarem vtriusque ripæ potentem cum exercitu iam Albim traicere, concionem sacram audisse. Illud certum est, non sustinuisse ipsum exercitus illius, fascijs puniceo coloris de cussatis terribilis, & ipsum etiam fluminis, cuius præsidio potissimum confusus fuerat, eursum silentis, aspectum.

Didici ego è Gallia quodam magnate qui in Germania diu versatus est, Saxones culpam Ducis sui concioni Lutheranae tam propinquo hoste indormitantis, in Curia Marechallum, ex Schonbergiorum familia, reicere, qui, uti aiebant, ab Imperatore corruptus, impedierit quo minus nunciatum de Cæsaris traiectione ad Ducem mature fuerit perlatum, ne Luthero-sacræ ipsius cogitationes & diuinus scilicet cultus inerpellarentur. Saxo, quamuis sero, Cæsarem iam traiectione certior factus, exercitum ad iter instruit, & celeriter Vitebergam contendit; ita tamen ut extremum agmen catenti hosti os obuerreret. Cæsar vado reperto, & instructo primo suorum agmine, non expectatis impedimentis & ceteris in traiciendo adhuc per pontem ex hostium abductis nauigijs factum occupatis, eum quantum potest insequitur. Quum in compito quodam forte fortuna Crucifixi Saluatoris imaginem, sacramentarij cuiusdam manu glande traiectam conspexisset, eleuatis in cælum oculis, *Mi Deus*, inquit, *satis ipse tu superque potens es ad tuas hodie vindicandas iniurias*. Saxonem interim cum exercitu, in quo sex erant peditum & tria equitum millia, vnà cura viginti tormentis maioribus, longius progredientem Imperator cum quatuor omnino equitum millibus persequatur, nullo peditatu, nullis tormentis instructus, quæ paulatim subsequebantur.

VI. Iam vterque exercitus ad tria confecerat milliaria Germanica, vnus quidem viam Vitebergam versus insistens, ut tutum assequeretur locum; alter hostis tergo inherens, ut eum diceret, & ad pugnam prolektaret: quum Saxo primum Cæsaris agmen, quod Albanus ducebat, conspiciens, suos ad syluam quandam consistere, & cū hoste prælium inire iubet: qui mox terga vertentes, peditatum destituerunt, ab insequentibus